DE

# VOMITORIIS.

## DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

*DIE XI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXVIII*

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**GUILELMUS FRID. LOEWER,**

HALBERSTADIENSIS.

---

OPPONENTIBUS:

*A. MUELLER*, MED. ET CHIR. DD.,

*F. SCHIELE*, MED. ET CHIR. CAND.,

*W. BUTTERLIN*, MED. ET CHIR. DD.

---

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO,

DOCTISSIMO,

# AEMILIO OSANN,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI, HUJUSQUE PROFESSORI PUBL. ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI ET IN ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, MEDICO APUD BEROLINENSES PRACTICO, SOCIETATUM LITTERAREARUM COMPLURIUM SODALI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

PRAENOBILISSIMO ET ILLUSTRISSIMO,

**GUILELMO KÖRTE,**

DOCTORI PHILOSOPHIAE,

PATRONO ET FAUTORI,

TUTORI

AD CINERES USQUE PIE COLENDO,

HASCE

STUDII ACADEMICI PRIMITIAS

ANIMI GRATISSIMI

EXIGUUM DOCUMENTUM

OFFERT

AUCTOR.

# LECTURO BENEVOLO.

Quicunque medicus tiro, cogitando, quam materiem ad scribendam dissertationem inauguralem, pro more antiquo in lucem edendam, eligat ambigere plerumque dubiusque haerere solet, quid in tanta rerum ubertate tractet. Accedit enim praeter alia in juvene verecundia, qui vix a limine doctrinarum ambitum salutavit nonnunquam tanta, ut vix audeat aliquid proferre. Hos et in me cecidisse scrupulos non est quod negem, sed et experientiae propriae defectus me ad materiam tractandam excitavit, in qua minus experientiae opus esset. Attamen quicunque hac nostra aetate omnia ad eam pertinentia et amplius quidem tractare in animum sibi induxerit, patentissimum litterarum medicarum campum peragrare debebit. Stat potius sententia, non nisi vim emeticam medicaminum ipsorumque brevem descriptionem in medium proferre, quae, li-

cet industria collecta et arida pumice expolita sit, cujusvis tamen indulgentiam peteret. Haud ignarus quidem, me in medicina ad modum tironem nil novi tradere posse, indulgentia lectorum benevolorum fretus ast vos, quorum tutelae, gratiae arbitrioque hunc foetum committo, oro rogoque, ut excipiatis benigne, cum si gratiae quid sperandum, a vobis nimirum exspectet.

# PROOEMIUM.

Sub statu valetudinis perfectae humores in anima-
em jam materiam subacti, alii per circulum vita-
em abrepti, in vasis sui generis aut singulas ad
artes decurrunt, aut ab istis vel continuato itinere,
el resorpti communem ad fontem revehuntur, vel
nsolita liquoris acrimonia stimulati sine noxa ex-
elli observantur. Praeparationem ciborum ad illam
nimalem materiam, postquam liquor ex arteriis
xhalantibus cum massa cibi pultacea, cum bile
umque pancreatico succo mixtus est, etiam per
notus externos compositorum musculorum abdo-
ninis, imprimis per motum peristalticum intesti-
orum, non alibi quam in tenuibus evidentiorem
t fortiorem fieri, constat. Hic motus modo in
na modo in alia intestini sede peragitur absque
erto ordine, si aër cibusve vel alia res admoverit
timulum, quo perinde sursum et deorsum irrita-
um intestinum se evacuat. Inde motus antiperi-
alticus intelligi potest, quo praecipue irritatus ven-

triculus cibos sursum repellit, et per laxatum oesophagum reddit vomitu. Priusquam vomitus ipse exstiterit ejusdem comites, nausea nempe et vomendi conatus oriuntur. Est ea scilicet ingrata et anxia circa stomachum sensatio cum horrore a cibis, salivae in oris cavum affluxu adaucto, sputatione frequente ac inani ventriculum evacuandi desiderio, quodsi crescente sub nausea ventriculus tum ipsum diaphragma musculique abdominales ad hoc ipsum evacuationis opus sese componant, nec tamen istud perficiant vomendi conatum, a nausea modo gradu majore destinctum, vocamus. Eorum vero, quae ventriculo tum solida tum fluida per oesophagum ingesta, aut ex intestinis per pylorum retrograda, effusa fuerunt, ingrata, violenta per fauces motu antiperistaltico et actione abdominalium musculorum et descendente diaphragmate adjuta expulsio, vomitus vocatur. Tunc sensus in ore, faucibus, imo ventriculo molestus, nausea continuo aucta, ardor, oppressio in regione epigastrica expuitio frequens, pallor faciei, horror aliquando, singultus, ructus, anxietas, vomendi conatus irriti; tunc mox contrahuntur, mox iterum laxantur iterumque tenduntur musculi abdominis, et sudores ad frontem superficiemque universam corporis viscidi subfrigidi erumpunt, lacrimantur oculi naresque stillant, rubet nunc facies tumetque.

Pro vario vomitus decursu, pro causae vel in ipso ventriculo, vel alibi haerentis ratione differunt ejus symptomata. Sed dumtaxat per adauctum

antiperistalticum intestinorum motum moveri vomitum, et modo per actionem sympathicam abdominalium musculorum et diaphragmatis jam sat superque a physiologicis demonstratum est. Attamen recentiori tempore, *Joannes Hunter* vomitum non nisi per actionem musculorum abdominis excitari assumenti *Magendie* non modo non assentit, imo vero miram hanc opinionem experimento se confirmasse opinatur. Cani resecuit ventriculum et loco ejus vesicam aqua repletam oesophago annexuit, ac solutione tartari stibiati in ejusdem venas infusa musculos abdominis et diaphragma ad motus excitatos eoque partem aquae maximam sursum ejectam esse profert. Resecto autem ventriculo non simul motum peristalticum totius tractus intestinorum sublatum, potius infusione auctum fuisse opinor. Saltem equidem abdominalibus musculis vulneratis explosionem illam adtribuere nollem. Ast si infundimus in venas materiam vomitum excitare valentem, nervi venas circumdantes propagant stimulum, et reactione plexus pulmonalis facili negotio vagus ventriculum et fauces ad motum spasmodicum excitare potest. Hoc modo etiam quod fecit *Magendie* experimentum interpretari possumus. Cum enim solutione tartari stibiati infusa fauces et oesophagus ad vomendum incitentur simul et vesica commovetur, et nunc musculi abdominales et diaphragma una ad eam evacuandam agunt. Si diaphragma musculique abdominis moverent vomitum, paralysi laborans ventriculus etiam vomere deberet,

quod tamen exemplis negatur, et in contrarium ventriculus, qui mortuo in homine repletus, et valde dilatatus inventus fuit ideoque facillime ad vomendum per musculos abdominis excitari debuisset, adhibitis etiam emeticis non vomuit [1]). Ventriculus autem in cavo thoracis situs vomuit [2]).

Praeterea vivorum sectiones animalium docuerunt, a stimulo stomacho admoto contractilem motum oriri, sequi pylori constrictionem inde medii illam ventriculi demum supremi donec ad ipsam gulam bolus progrediatur, et a ventriculo sese contrahente et in rugas plicato sursum per os expellatur.

Leviori adhuc calamo tangere velim, equos asinosque modo structura ventriculi impediri quo minus vomant, ast animalia, deficiente diaphragmate, ut aves et amphibia, vomere.

Vomitus vel symptomaticus existit, qui ex partium morbo laborantium consensu reducitur, vel idiopathicus est, cujus causa in stimulo graviore nimiam ventriculi ad pylorum tunc clausi contractinem excitante consistit. Huc igitur, ut potiora uno hic sistantur intuitu, spectant quantitas ciborum qualitasque vel parum a dentibus concisorum, vel contritorum, verbo omnia, quae stimulum ipsi ventriculo majorem, quam par est aut specifice odiosum inferunt.

---

1) *Lieutaud* Mem. de l'Ac. des sc. de Paris pour 1752. p. 223 — 232.

2) *Ad. Reisig*, Diss. de ventric. in cavo thoracis situ congenito. Berol. 1823.

Quare praeter alia hic nominanda sunt medicamina, quae specificam motum antiperistalticum concitandi vim in se continent, quorum indagatio adumbratioque hujus scripturae finis est.

*Doering*, Commentat. medica de vomitu. Marburg 1792.

*Valescus de Taranta* lib. IV. de vomitu.

*Ainslie*, Dissert. de vomitu idiopathico. Edinb. 1753.

*Vogt*, Dissert. de vomitu sympathico. Viteb. 1802.

Mémoires sur le vomissement, consederé dans l'état sain et dans les maladies cancéreuses de l'estomac. Paris 1821.

Benevoli due relazoni chirurgiche instruttivi: *Haller*, Bibl. chirurg. II. p. 76.

Nouveau Journal de Médicine, Chirurgie, Pharmacie par *Beclard, Chomel* etc. Paris 1818. Märzheft.

## GENERALIA DE EMETICIS.

Emetica in omnibus fere morbis adhiberi possunt, non modo ut evacuetur ventriculus, sed effectus ipsorum per totum etiam organismum propagentur. Vis autem quam vomitoria habent, ab ipsorum qualitate, compositione et ratione qua adhibentur, nec minus a normali, ac per morbos mutato consensu partium corporis pendet. Emetica mutant liquores, cum aliam reactionis rationem inter solida et humida provocent, et systematis resorbentis, et secernentis vim augeant simulque cum functiones excitent organorum, a quibus assimilatio et animalisatio pendet, ac sanguinis circulum maturando, coloremque totius corporis augendo sudorem moveant et in totum nervorum systema agant, in morbis et acutis et chronicis magni momenti sunt. Cum autem vomitus sine valida omnium corporis partium concussione fieri nequeat, hinc plethoricis, morbis inflammatoriis, haemorrhagiis laborantibus, debilibus in lypothymiam pronis, male configurato thorace instructis, vomitoria non nisi cum maxima circumspectione adhibenda sunt, nec ob auctam inde diaphragmatis et musculorum abdominalium in viscera abdominis oppressionem, gravidis, herniis laborantibus ea dare licebit; eos quoque qui non

nisi validiore nisu vomunt, et in quibus alvus pertinacius obstructa, et hinc motus peristalticus vitiatus est ab usu emeticorum excluderem, nisi symptomata urgeant.

Porrecto autem emetico vomiturus, supervacaneis vestibus rejectis, lecto affixus ad latus cubet sinistrum, levi lodicula obtectus, si vero nonnisi vomituritiones et conatus vomendi irriti appareant, denuo dimidiatam antea porrectae dosis, praeterlapsa parte horae quadrante post, sumat potionique medicatae infusum florum chamomillae haud multo post suggerat oportet. His omnibus et vomentis caput sustentando certissime levatur vomitus. Post vomitum autem, ne inhibeatur sudor, nec frigoris injuria laedatur aegrotans, lecto surgere non debet, quo facto mox somnus dulcis saluberque eum amplectetur.

## DIVISIO ET ENUMERATIO EMETICORUM.

Vomitoria in duas classes diviserim, alteram, quae ventriculum distendendo ad motum antiperistalticum excitat, alteram, quae evidenter irritando ventriculum, ut praeter modum naturalem ejus fibrae se contrahant, efficit. Prima classis, aquam, lac et olea comprehendet. Altera classis vomitoria complectetur, quae irritando agunt, si exhibeantur dosi tam parca, ut vomitum non excitent, sed ad vias secundas transeant validosque effectus resolventes edant; sin autem legitima dentur dosi, haud dubie excitant vomitum. Haec diviserim in acria et specifica vomitoria.

Ad acria refero medicamina, quibus aliquid vo-

latilis alcalinae materiae inest, quod ex acri sapore et virtute eorum irrhina, rubefaciente imo etiam vesicatoria elucet, quae omnino vomitum excitare queunt, in dosi autem majore data, ut venena rodentia, gravissima symptomata excitant, imo hominem necant. Differunt haec a specificis vomitoriis, quod his inest peculiaris quaedam materia emetinum nominata. *Pelletier* et *Magendie* illud in ipecacuanha invenerunt hoc modo: Pulvere radicis cum aethere sulphurico mixto, cum alcohole cocto, liquor filtratur et ad siccum evaporatur. Quod restat denuo aqua, coquitur et liquori filtrato magnesia additur, praecipitato autem deinde facto et abluto alcohol adjungitur, et tota massa ad siccum evaporatur; nunc emetinum aqua carbonica solvitur, et ex hac solutione per alcali praecipitatur. *Boullay* [1]) simili modo e Viola odorata accepit et nominavit violinum. Est illud scilicet efficax materia vehementi acri amaro, neutiquam nauseoso sapore absque odore apparens in pellucidis rubris squammulis. Aëre sicco non mutatur, in humido autem diffluit. In aqua et alcohole sulubilis, quin virtutes mutentur, in aethere non solvitur. Consistit autem emetinum, oxygenio, hydrogenio et carbonio.

## I. CLASSIS.

Quamvis egregiarum virtutum aquae *Hippocrates* jam mentionem faciat, de ejus vomitum excitandi vi nil refert. Nusquam invenimus aquam inter vomitoria

---

[1]) *A. Richard*, formulaire. Deutsche Ausgabe. Weimar, 1828. S. 372.

mitoria relatam, attamen usus domesticus calidam cum butyro mixtam ad vomendum commendat, et licet equidem ipse vim in nonnullis perspectam habuerim, nihilo secius ad hunc scopum commendarem [1]. Aqua, lac et olea potius abundantia ventriculum destendendo, eundem exonerare videntur. Maxime ob effectum emollientem et involventem, contra venena commendantur, ut haec obtundantur et sine augmento stimuli eliminentur, quod Celsus jam annonat.

## II. CLASSIS.

### A. ACRIA VOMITORIA.

#### α. *Vomitoria metallina.*

Omnium emeticorum usitatissimum est tartarus stibiatus, qui ex antimonio praeparatur [2]. Antimonium, Stibium, est substantia fossilis nigro plumbeo colore instructa, striis splendentibus destincta, e sulphure et proprio metallo ad aequales partes mixtis consistens. Occurrit vulgo partibus terrestribus inquinatum et minera antimonii dicitur, si radios aut strias longitudinales refert, stibium striatum nominatur. Antimonium eliquatum creberrime figuram conoideam habet.

Primus *Basilius Valentinus* antimonium commendavit, praeparata dumtaxat adhibuit, crudum venenum esse affirmans. Qua ex re Parlamentum Parisinum an. 1566 publico edicto ejus usum prohibuisse

---

1) *Valescus de Taranta,* de diabete, anotat. VI. Frankf. 1595.

2) *And. Matheoli,* Comment. in lib. quint. Dioscorid. cap. LIX.

et demum novo edicto 1669 eundem iterum concessisse legimus. Multa deinde praeparata facta sunt et inter alia tartarus stibiatus. Varia ratione praeparatur, et licet omnis aequalem praebeat virtutem, nos quae legitima est commendamus.

*Rec.* Stibii oxydati grisei
tartari depurati
Aquae destillatae singulorum uncias quatuor.

In vase porcellaneo mixta degirantur per horam, colorem sub finem augendo. Tum adde: Aquae destillatae fervidae q. s. ut pondus totius liquoris, adhuc calidi filtrati, sit librarum quinque, quem lege artis in crystallos redige. Has tritas in aquae destillatae frigidae partibus XV solve. Liquor filtratus denuo in crystallos redigatur, quorum albissimos in pulverem subtilissimum tere et in vitro bene obturato caute serva [1].

Tartarus stibiatus hoc modo praeparatur, ab omnibus inquinamentis metallicis liber, albissimus est. Flavescenti inest ferrum, a quo non nisi repetita crystallisatione depuratur. Tartarus stibiatus ad usum commendatus in aquae quatuordecim aut quindecim partibus solubilis esse debet. Si eum solvas in aqua destillata et solutioni instillas ammoniacum sulphuratum, tunc praecipitatum fiet colore aurantiaco. — Consistunt autem tartari stibiati nonaginta sex partes, *Thenardio* auctore, e 34 part. acidi tartarici 16 Kali, 38 stibii oxydati et 8 partibus aquae.

Tartarus stibiatus parca dosi diuque adhibita digestionem depravat parvis interstitiis autem reite-

---

[1]) Pharmacop. borussica. Edd. IV. 1827. S. 242.

rata nauseam efficit. Quatuor grana certum vomitum excitant, quem interdum alvi dejectiones sequuntur. Dosis aucta ut venenum agit, nisi statim vomitu reddatur; tunc vomitus creber nimiusque existit, alvi profluvium, respiratio anxia, oppressa, dysphagia, spasmus, convulsio, et mors scenam claudunt. Externe adhibitus haud minus efficax est. Per frictiones Tartari stibiati vomitum movere licet. In venas solutione infusa tutissime vomitum provocare potes, quod autem cautissima manu fieri debet, cum hoc modo parca dosis lethalem secum ferat effectum.

Tartarus stibiatus adhibetur, ubi cito vomitum provocare simulque alvum exonerare animus est [1]), si igitur ab heterogeneis ventriculum et intestinum duodenum liberare volumus. In affectionibus gastricis, biliosis, mucosis conducit praecipue sordibus sursum turgescentibus. In dysenteria laudatur, si materia in primis viis haeret, quae fovet stimulum; hic autem praeferamus oportet ipecacuanham utpote qua spasmus intestinorum melius tollitur. Si vomitoria indicata sunt, ut per concussionem et per peculiarem stimulum in totum organismum agatur, ut actiones vasorum mutentur, secretiones cutis, renum, pulmonum aliorumque organorum augeantur, et actiones systematis nervosi temperentur, tartarus stibiatus palmam fert. Ideo adhibeas eum quando functiones organorum respirationis sustentare, sputum augeri, aut actiones horum organorum mutari velis, in spasmo, tussi convulsiva [2]), angina membra-

---

[1]) *Hirschels* Briefe über verschiedene Gegenstände aus der Arzneiwissenschaft. Berlin, 1768 — 72.

[2]) *Armstrong*, von den Kinderkrankheiten. 1768. 8.

nacea et asthmate, quando in cerebrum agere velis, sopore laborantium a venenis narcoticis in ventriculum inductis [1]), orto, aut a gastricis affectionibus pendente ut in submersis, in suffocatis et asphyxia laborantibus, dummodo venaesectio antea instituta sit. Commendatur tartarus stibiatus, si ob cutis vitiatam functionem exanthemata retrogressa iterum provocare tendis, et praecipue si contagium statim eliminare velis. In febribus intermittentibus aliisque in morbis periodicis ita efficax est, ut saepissime eo solo adhibito removeantur. In morbis mentis, mania et melancholia iterum iterumque tartarus stibiatus laudabitur.

Si respiciamus ad formam, qua detur, semper prae omnibus ad vomendum excitandum solutio granorum trium aut quatuor in aquae destillatae unciis quatuor praeferenda est. Sumantur tunc duo cochlearia, deinde durans per horae quadrantem, unum cochlear donec ter sequatur vomitus. In morbis mentis summoque torpore laborantibus majores doses adhibeantur necesse erit. His in casibus ad drachmam usque dosin auctam fuisse exempla docent. Forma pulveris hic commendatur. Infantibus plerumque praescribitur solutio tartari stibiati in vino malacensi, cujus uncia una dua continet grana, quae vero etiam in debilibus adultis adhibetur si metuimus, ne solutio aquosa profluvium alvi excitet. Detur adultis drachma et infantibus dimidia, singulis horae quadrantibus, donec efficiat vomitum.

---

[1]) *Mardorff*, de maniacis Giefsensibus a solano furioso. Giefs. 1691.

Alia adhuc antimonii praeparata existunt, quae licet vomitum excitent non recepta sunt, ut stibium oxydulatum purum, s. vitrum antimonii; stibium muriaticum oxydulatum s. pulvis Algarothi. et vitrum antimonii ceratum [1]).

Zincum, cujus primus *Paracelsus* meminit, colore in coeruleum vergente magnoque splendore instructum est, fusum in flammam viridescentem erumpit, calefactum fragile est, ut in pulverem terere queas. Cum acidis format salia in aqua facillime solubilia. Oxyda ejus cardialgiam faciunt et vomitum, subsequente interdum obstructione aut diarrhoea; majores doses inflammatio, gangraena, convulsiones et paralysis sequuntur. Recepta sunt:

Zincum oxydatum. s. flores Zinci.

*Rec.* Zinci in frustulis q. v.

inmitte in crucibulum satis amplum et altum, ut Zincum inmissum non nisi quartam partem crucibuli impleat. Crucibulum repone inter carbones ardentes et ignem urge, donec metallum fluat, et tandem erumpat in flammam. Tum crucibulum alio contege non prorsus excluso aëris accessu. Flamma exstincta crucibulum tegens removeatur, et oxydum album leve cochleari ferreo eximeatur, quae operatio repetatur quoties zincum amoto crucibulo, et superficie ab oxydo liberata in flammam erumpit. Oxydum collectum elutriatione in pulverem subtilissimum redactum, sicca et in vitro bene obdurato serva.

Flores Zinci, qui observante Illustr. *Gaub* [2]) ad

[1]) *Jac. Mellin*, praktische Materia Medica. Altenburg, 1728. *Ph. Fr. Gmelin*, de vitro antimonii cerato. Tub. 1756.

[2]) *Gaub*, adversaria varii Argumenti Lugd. Bat. 1771. 8. *Martini* casus de Chorea St. Viti Arg. 1730.

aliquot grana de die dati, epilesiam fugare solent; et in parca dosi in multis aliis nervosis morbis commendantur non amplius ad vomitum excitandum adhibentur, praesertim cum uno grano sumto interdum exstiterit nimius vomitus.

*Zincum sulphuricum oxydatum* s. Vitriolum Zinci quod, Zinco in frustulo parva diffracto in acidi sulphurici diluti sufficiente quantitate soluto, accipies. Crystalli inde ortae prismaticae, saporis constringentis metallici in aëre fatescentes, in duabus aut tribus partibus aquae, nec in alcohole solubiles sunt.

Zincum sulphuricum in minori dosi adhibitum, eandem vim habet ut flores zinci, in majori dosi vomitum excitet, quin diarrhoea sequatur. Receptum est in morbis mentis aliisque morbis nervosis laborantibus, praecipue autem in hominibus qui venena narcotica sumserunt. *Cooper* homini, qui tincturae opii sex drachmas sumserat, sesqui drachmam fausto cum successu et postea insuper cupri sulphurici drachmam dimidiam dedit. Recentioribus temporibus alii membranacea angina laborantibus pro usitatis emeticis dederunt et commendarunt. Quoad formam qua detur, solutio ceteris praeferenda est, attamen pulveris forma adhiberi potest. Dosis III — X gr.

Cuprum. χαλκὸσ. Aes. [1]).

Metallum rubro colore, sapore admodum nauseoso instructum, tritum propagat peculiarem odorem. Aëri expositum splendorem amittit qui in crocum viridem vertitur. Facillime acido phosphorico solvitur, et format cum acidis salia in aqua so-

---

[1]) Dioscorid. opera, per Saracenum 1598 f.

lubilia. Cuprum vires rodentes edere jam *Galenus* monet, quare intus assumtum pro varia qua recipitur dosi, modo cardialgias et nauseam, modo vomitus, modo alvi secessus, modo graviora quoque mala excitare potest. Omnia ejus praeparata magis minusve vomitum movere possunt, sed ad hunc finem modo Cuprum sulphuricum receptum est. Praeparatur hoc modo: [1])

*Rec.* Ramentorum cupri partem unam inmitte in retortam vitream et affunde
acidi sulphurici crudi partes tres antea cum Aquae destillatae parte una.

mixtas. Retortam in balneo arenae igni expone ut cuprum, abigendo acidum sulphurosum solvatur. Solutio ad siccum evaporet. Massam remanentem contritam solve in

Aquae destillatae fervidae quantitate sufficiente, solutum filtra et l. a. in crystallos redige quos siccos serva.

Usus Cupri ad vomitum excitandum in angustis finibus continetur et praecipue in illis casibus adhibetur, in quibus Zincum sulphuricum nullo effectu fuit [2]).

Dosis vix ultra grana tria.

*β. Vomitoria vegetabilia acria.*

Scilla, Squilla, σκίλλα [3]). *Zorn*, Tab. 380.

Scilla maritima *Linnéi*, corollam habet hexapeta-

---

[1]) Pharmacopoea borruss. Edd. IV. 1827.

[2]) *Buchner*, Disputat. ad morb. histor. oper. *Haller*, T. IV. p. 286 *Van Swieten* Comment. ad *Boerh*. De rachitide. §. 1489.

[3]) *And. Matheoli* Comment. in librum secund. Dioscorid. Cap. CLXVIII. 604. — *Galen.* opera. libr. VIII. — Plin. lib. XIX. Cap. V.

lam, isantheram, monogynam capsulam trisulcam, trilocularem, scapo spicato ante folia erumpente et bracteis flexis. Nascitur ad littora maris Europae Meridionalis, Asiae Occidentalis et Africae. Recepta est radix: quae haud raro ad aliquot pugnorum magnitudinem accedit, ex basi angustiore rotunda fibrillas emittit, mox in corpus amplum distenditur, quod in formam conoideam contrahitur. Aliquot strata cuticulae siccae, acidae rubrae tegunt albas squamas bulbi, levi rubore suffusas sapore exquisite amaro instructas. Recentes radices eximiam acrimoniam habent, rubefaciunt cutem et vesicatoriam irrhinamque obtinent virtutem. —

Ad vetustissima, quae habemus medicamina, pertinet ab *Epimenide* primum in usum tracta; de ejus viribus volumen condidisse *Pythagoram* testatur *Plinius.* Ejus amaritiei propriam inesse acrimoniam uno ore omnes contendunt auctores, catos et cuniculum inde periisse vidit *Hillefeld* [1]); ut acrimonia temperetur radicem pasta farinacea obduci *Dioscorides* jam jubet. Radix ita praeparata nunc coquitur et siccatur, et Scilla cocta nominatur. Ab omni tempore vix ejus resolvens et vomitoria laudatur, *Dioscoridem Dorsthenium*, *Scibonium*, *Largum*, *Valescum de Taranta*, *Hoffmann, van Swieten* hic allegasse sufficiat.

Majores modo doses scillae ore assumtae vomitum, diarrhoeam, cardialgiam, stranguriam, mictum cruentum, inflammationes ventriculi et mortem efficere possunt, qua ex re scilla sola ad vomitum excitandum non commendatur, sed praeparatum ejus

---

[1]) *Hillefeld* Experimenta circa Venena. Goett. 1760.

oxymel scilliticum aliis emeticis ad ipsorum vim augendam additur.

Asarum europaeam. *Linné* [1]) *Hayne* I. T. 44. foliis reniformibus, obtusis, glabris geminatis, calyce trifido nascitur per totam Europam in nemorosis sub umbrosis frondosis locis; floret exeunte vere et prima aestate. Flores solitarii, pedunculati cernui, pedunculis foliis multoties brevioribus. Calyx extus villosus, intus atropurpureus. Recepta est radix flexuosa longitudinaliter rugosa, cortice exteriore albo, intimo fusco, lineae instar lignum album cingente, sapore amaro et acri nauseoso, odore sternutationem excitante. Recens vomitum et diarrhoeam excitat, quod jam *Dioscorides* annotat, *Galenus* autem omittit. *Alexius* [2]) ob vomitoriam vim contra quartanam febrem specifice commendat radicem, sed prae aliis emeticis in hoc morbo aliquid proprii habere dubito. Recentiori tempore pro ipecacuanha commendarunt *Linné*, *Cullen*, cum autem non tam certo efficax sit, summa necessitate modo cogente adhibenda erit.

Dosis vix ultra scrupulum.

Momordica Elaterium [3]) *Zorn* I, 444. caule ramoso decumbente, foliis petiolatis, cordatis, floribus cucumeri sativo similibus, habitat in Europa meridionali, in nostris hortis, seminibus sponte sparsis propagatur. Fructus cucumis asininus nominatur et dat succum a veteribns ελατήριον, elaterium, nominaum. Elaterium vulgari ratione inspissatum nunc adhuc prostat quin receptum sit.

---

[1]) *And. Matheoli* Comment. in lib. prim. Diosc. C. IX. 37.

[2]) *Alexius* Pedemontanus de secretis p. *Wecker*. Bas. 1603.

[3]) *And. Matheol.* Comment. in lib. IV. Diosc. CXLIX.

*Hippocrates* elaterii jam medicamenti sursum et deorsum purgantis meminit; ideo ejus insignem in hydrope curando efficaciam *Lister* [1]) *Reusner* et alii laudant. Veteres larga quantitate illud exhibuerunt, *Everhard* [2]), ad drachmam dimidiam usque sine noxa exhibitum fuisse, perhibet.

Vix ultra sex grana hodie ejus dosis extenditur.

Brionia [3]), graecorum ἄμπαλος λευκὴ, βρυωνία, vitis alba ut alii volunt, Brionia alba Lin. et bryonia dioica *Jacquini*. *Hayne* VI. F. 23. Foliis cordatis, quinquelobis dentatis calloso asperis acutis, floribus corymbosis monoicis, calycibus foemineis corollam aequantibus. Caules plures debiles scandentes usque ad pedes decem longi. Folia alterna petiolata ad latus basis petioli oritur cirrhus simplex solitarius.

In sepibus ad pagos inque dumetis frequens planta perennis.

Recepta est radix fusiformis, lactescens praegrandis in taleolos transversas dissecta, annulis corticis sibi invicem incumbentibus, ligno e fasciculis compactis composito, sapore amaro nauseoso.

*Plinius*, *Galenus*, *Dioscorides* ejus meminerunt, et *Hippocrates* ad injectiones et suffitus uterinos, *Galenus* intus resolvendi causa adhibuerunt. Recentiori tempore *Harmand* bryoniam commendavit, et in febribus nervosis, intermittentibus, in variolis et morbillis ad vomitum movendum, ad dimidiam usque drachmam adhibuit.

Dosis pulv. grana quindecim usque ad scrupulum.

---

[1]) *Lister* de morbis chronicis. Genev. 1727.

[2]) *Everhard* Elaterium magnis mortalium usibus etc Altdorf 1722.

[3]) *Matheol.* Comm. in lib. V. Diosc. C. CLXXVI

Gratiola officinalis [1]) *Linné. Hayne* III. F. 13. Corolla monopetala seminibus quatuor, quorum duo terilia, calyce in plures lacinias secta, capsula biloulari, floribus pedunculatis, foliis lanceolatis oppoitis serratis sessilibus. Passim in Europa tempeata occurrit.

Recepta est herba.

*Vauquelin* efficacem substantiam in materia peuliari resinosa invenisse putat.

Communis fere est auctorum consensus de vaida, qua planta haec gaudet vi. *Gesner* in se ipso xpertus est, et eam ad scrupulum unum in substania sumtam, non sine molestia et vomitu et alvo urgasse testatur *Boulduc*; hypercatharsin inde suscitatam *Burckel* [2]) annotavit. Radicem in modum ipeacuanhae agere *Kramer* asseverat. In refracta dosi esolvendi potius quam vomendi scopo adhibetur.

Dosis vix ultra scrupulum aut drachmam dimiiam.

Helleborus albus [2]). *Ἑλλέβορος λευκὸς.* Verarum album *Linné. Zorn* T. 295. Corolla hexapetala rregularis, isanthera, trigyna, capsula triplici. Trunus ad quatuor pedes altus non ramosus, foliis sesilibus nervosis ovatis. Recepta est radix, cylindrica, xtus nigrescens, e radiculis resectis cicatrisata, intus lba saporis acerrimi urentis. Occurrit in Sibiria, Ielvetia et Italia.

Quoties *ἑλλεβορον Hippocrates* simpliciter praecripsit, semper album intelligendum esse contendit

---

[1]) *And. Matheol.* Comment. in lib. III. Dioscord. 696.

[2]) *Burckel* de gratiola. Argent. 1738.

[3]) *And. Matheol.* Comment. in Diosc. Cap. CXLV.

*Galenus.* Venenosae ejus indolis ambo meminerunt. Omnibus animalibus, exceptis equis, venenum esse *Wepfer* et *Herissant* [1]) experimentis probant, et violentissimum inde motum vomitum *Fallopius* vidit. Qui mortem, ut *Forestus, Muralto, Ledelius* etc. aliosque, qui deleterios hujus radicis effectus viderunt auctores, *Haller* collegit et dicit illam rejiciens „in tanta copia tutiorum medicamentorum nollem veneno uti.”

Si quis illam adhibendi sat audaciae haberet, nunquam scrupuli dimidii dosin excedat.

De aliis medicaminibus ad hanc classem pertinentibus, ut Lobelia inflata, cujus radicis viginti grana *Barton* ad vomendum praescripsit ,et Spiraea trifoliata cujus grana triginta vomitum excitare dicuntur, et de Rhamno Frangula *Linné* nihil audeo referre, quod mihi saltem nulla justa observatio nota est.

## B. VOMITORIA SPECIFICA.

### a. *Vomitoria vegetabilia specifica.*

Ipecacuanha. Viola ipecacuanha *Linné*, habet simplicissimum herbaceum caulem, folia ovato oblonga, hirsuta, nascitur in America meridionali. Recepta est radix aliquot pollices longa, cylindrica, ramosa tenuis flexuosa, verucis eminentibus inaequabilibus numerosis, substantia extus nigricante grisea, intus albissima instructa, amaro et acri nauseoso sapore [2]).

Primus *Piso* hujus radicis mentionem fecit, *Gras* Medicus anno 1672 ejus aliquid in Europam adducit,

---

[1]) *Herissant,* in philosophicals Transact. 1751 — 52.

[2]) *Wedel* de Ipecacuanha. Jenae 1705.

t alicui pharmacopolio Parisino intulit, anno 1684 ›assim in tabernis Europaeis obtinuit, teste scheda, uam seplasiarii divulgarunt. Anno 1690 mercator nagnam harum radicum quantitatem cum Parisios dvenisset, majorem ut questum faceret, socium sibi *Ielvetium* junxit, qui *Ludovico XIV.* persuasit ut jueret, cum iisdem in nosocomiis institui experimenta. )uae ex eo sunt ductae observationes *Leibnitius* anotavit. Rex *Helvetium* larga pecuniae summa doavit et publice aegrotantibus hoc medicamen vendi, ıssit. Mercator aegre ferens *Helvetii* renumerationem, ipecacuanham aliis quoque Pharmacopolis ac ıedicis concessit, unde factum est, ut vulgaretur ıedicamentum. *Tournefort* radicis laudes copiose numerat et *Wedel* plures observationes adducit de gregio ejus in dysenteria usu et multas addit, ubi ı ipsius emetica etiam in aliis morbis egregie proıit. *Van Swieten*, *Boerhaave* [1]), *Degner* aliique laudant omnino ipecacuanham, sed aliis emeticis praeerre nolunt. Licet *Geoffroi* per grana sex perbelle omitum excitatum fuisse moneat, attamen dosis ad rachmam dimidiam extendi potest.

Viola odorata *Linné*. *Hayne* III. T. 2.

Veteres cognoverunt nonnisi violam nigram et iolam purpuream, quas Graeci ἴον μέλαν et ἴον ορφυροῦν nominarunt. — Viola acaulis stolonifera ubescens, foliis subrotundo-cordatis stipulis lanceoıtis acuminatis, sparsim setaceo serratis, sepalis ovas acutiusculis, petalis integerrimis, capsula subglo-osa. Flores intense violacei, grati odoris, rarius

---

[1]) *Van Swieten* Comment. de rachitide. §. 1489.

[2]) *Matheoli* Comment. in Diosc. Cap. CXVII. 1180.

capsulas proferunt. — Planta perennis habitat in nemoribus frondosis opacis.

Recepti sunt flores, qui clibani colore siccati in officinis prostant.

*Dioscoride* notante ad morbos pectoris adhibebantur, eosdem viribus alvum ducentibus pollere arabes annotarunt et *Pechlin* [1]) iteratis experimentis probavit.

Recentiori tempore in radice, floribus et foliis violae *Boullay* invenit emetinum, et nominavit violinum, ex eo pendet vis vomitoria.

Dosis ad scrupulum.

Viola canina respondet in omnibus Violae odoratae quam ob rem prolixius eam haud adumbrabo.

His omnibus obsolutis adhuc addere mihi liceat verba *Huxhami*.

„Medicum pauca quaedam praestantissimorum de quolibet genere remediorum ad ejus usum seligere illisque inhaerere, non vero divagari oportet in immensam farraginem, cui nonnulli tam avide indulgent".

---

[1]) *Pechlin*, de purgantium medic., facultat. Amstel. 1702.

# CURRICULUM VITAE

## EX DECRETO
## GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Natus sum ego Guilelmus Friedericus Loewer, Halberstadii die XIX m. Maji anno MDCCCIV, secundus quinque filiorum a patre optimo pro dolor nimis mature mortuo Carolo Joanne Loewer Medico Halberstadiensi, et matre Carolina e gente Gretscheliana, quam etiam mihi nimis mature morte inevitabili ereptam vehementer lugeo. Praeceptoribus domesticis usque ad aetatis decimum annum prima religionis evangelicae elementa debeo, post Gymnasium Illustr. Halberstadiense, quod sub Cel. Maassio directore floret et florebit, per annos novem frequentans a praeceptoribus pie colendis litteris graecis, latinis et aliis quae ad humanitatem spectant disciplinis eruditus sum. Examine deinde feliciter peracto, universitatem frequentandi veniam assecutus, Berolinum migravi, ubi d. XXI m. Octob. a. MDCCCXXIV a viro Illustrissimo Rudolphi t. t. Rectore Magnifico in civium academicorum numerum receptus, atque a Decano Spectab. Illustrissimo Link facultati medicae adscriptus horum praeceptorum scholas frequentavi.

De anatomia corporis humani, comparata, organorum sensuum, osteologia, splanchnologia, syndesmologia, Illustr. Rudolphi et Illustr. Knape, de encyclopaedia et methodologia medica Illustr. Casper, de Electricitate et athmosphaerologia meteorologica Illustr. Ermann. Botanicen, et historiam naturalem generalem Illustr. Link, chemiam universalem Illustr. Mitscherlich, et artem cadavera dissecandi Illustr. Rudolphi et Illustr. Knape me docuerunt. De anatomia pathologica Illustr. Rudolphi, de pathologia tam generali, quam speciali et semiotice Illustr. Hecker praelectionibus adfui. Deinde audivi de physiologia generali et speciali Illustr. Eck, de pharmacia Illustr. Hermbstaedt, de materia medica

generali et speciali et de fontium medicatorum historia Illustr. OSANN, de pathologia speciali, de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis et mentis, et de therapia speciali Illustr. HORN. De ophthalmologia Illustr. JUENGKEN, de chirurgia generali et speciali, ossibus fractis et luxatis, arte fascias imponendi et de cursu omnium operationum cum exercitationibus in cadaveribus Illustr. RUST et Illustr. KLUGE. Artem obstetriciae, et artem formulas concinnandi et cognitionem de medicina forensi Illustr. KLUGE et Illustr. CASPER mihi tradiderunt.

Denique institutiones clinicas virorum Illustr. DE GRAEFE, RUST, BARTELS et NEUMANN frequentavi, ita ut per annum aegrotis curandis operam dederim, et ipse occasione oblata sub auspiciis Illustr. DE GRAEFE operationes fecerim staphylomatis corneae totalis conici et cataractae.

Omnibus praeceptoribus optime de me meritis oblata hac occasione non possum non maximas gratias agere, pollicerique me nunquam beneficiorum ab iis in me collatorum memoriam ex animo esse demissurum.

Tentaminibus et examine rigoroso coram Gratioso medicorum ordine superatis, spero fore ut scripta defensaque dissertatione inaugurali, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

---

# THESES.

*Asphyxiam neonatorum parturientium adjutori interdum exoptatam esse existimo.*

*Vagitum uterinum existere contendo.*

*Non in diversitate acinorum sanguinis sitam esse causam cur transfusum sanguinem e mammalibus in aves semper sequatur mors.*

*In omnibus cataractae generibus una methodus operandi sufficit.*

*Methodus Rasoriana est rejicienda.*

*Proximam diabetae causam non nisi in vitiata vasorum lymphaticorum functione sitam esse contendo.*